

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput IX. Quod felicissimi sunt qui ad vivunt quod deo servire possunt.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

S. Benedictus filiis suis de calice suo propinat.

pro Christi nomine. Et hi conversi ad Dominum dixerunt : « O Domine, sanguis tuus innocentissimus qui nostrum sanguinem sanctificavit, subveniat eis. » Dehinc accessit ad Confessores, inter quos vidit sanctum Benedictum ¹ cum baculo pastorali, qui de calice suo propinabat omnibus de suo Ordine illic existentibus ; et ipsi Confessores omnes orabant dicentes : « Domine, labores nostros tibi pro eis offerimus in supplementum. » Postremo deprecabatur sanctas Virgines, admirans cur ultimo loco sederent. Cui Virgines : « Videre debes nos Deo non esse remotiores. » Tunc Virgines orabant dicentes : « Rogamus te, sponsum, Regem et Agnum mansuetissimum, pro cœtu Virginum. »

Et mensa illa amota, surrexerunt Virgines stantes ante Dominum, quibus Dominus assurgens choream jucundissimam cum eis duxit, carmina nova canentes dulcissime, et in his carminibus mentio de Congregatione facta est. Visa etiam est soror M. ² stare coram Domino, et de Corde Domini radius quidam ibat in cor ejus, propter speciale donum quod habebat amoris.

CAPUT IX.

QUOD FELICISSIMI SUNT QUI AD HOC VIVUNT QUOD DEO SERVIRE POSSUNT.

ALIA vice. dum Conventus communicaret, et hæc Dei famula propter infirmitatem simul accedere non posset, orabat Dominum quatenus de micis mensæ suæ aliquid

1. Sic filialis erga beatum Patrem Benedictum affectu in ipsis revelationibus declaratur. Cf. Part. 1. c. 28.

2. Verisimiliter illa est soror Mechtildis de qua in Part. II. c. 42. Part. V. c. 4. et in *Legat.* Lib. V. c. 7. etc. cujus est *Liber fluens divinitatis.*

sibi daret. Mox videbatur sibi quod Dominus ad mensam magnam cum omnibus Sanctis sederet, porrigens ei micas, in similitudine aureorum nodulorum et gemmarum, gaudium scilicet et beatitudinem suam illi feliciter communicando. Post hæc Regina, Mater Domini, manus ambas replens, animæ dedit. Deinde omnes similiter cum magno gaudio faciebant. In mensa autem illa, Virgines ob singularem prærogativam, versus Dominum erant sedentes, utpote faciem et decorem Sponsi sui dulcius contemplantes, et ejus delicias familiarius haurientes. Cum ergo anima eas rogatura accessisset, illæ dixerunt: « Eia, felicissimi vos estis qui adhuc vivitis in terra, et multa promereri potestis: quia si homo sciret quanta etiam una die promereri posset, mox ut a somno evigilaret, tanto gaudio cor ejus dilataretur pro eo quod illa dies illuxisset, in quo Deo vivere et ejus meritum ad Dei laudem augere posset, quod tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior et fortior redderetur. »

In consessu
Sanctorum
Virgines
versus
Dominum
sedent.

CAPUT X.

QUOD DEUS EJUS PRECIBUS PLUVIAM DEDIT ¹.

DUM totam terram siccitas magna perturbaret, eo quod jam longo tempore non pluisset, orabat Dominum ut fructuosa pluvia terræ faciem irrigaret. Cui Dominus: « Hodie dabo vobis pluviam. » At illa cum nimiam videret serenitatem et solis stabilitatem, dubitare cœpit. Cum vero dies pervenisset ad vesperam, secundum promissum Domini pluvia descendit fructuosa.

1. Cf. *Legatus* Lib. I. c. 13.